

festum est, adductum iuris axioma ad coercendam agendi licentiam, non vero ad vincula legum relaxanda pertinere. Si autem V. in legem pro viribus inquirere nimium onus esse judicetur, nulla iam erit tam crassa ignorantia, quae hoc praetextu non possit excusari. Certum VI. quum iudicium probabilis esse non possit, quin etiam tutius sit a falsitate, perpetui profecto atque inaneis iniicerentur scrupuli conscientiis, si quis opinionem sectari deberet minus probabilem, quod iljam a defectu rectitudinis noscit esse tutionem.

CCX. Postremum est, vt quae dormiens sit conscientia, quae *expergefacta*, videamus. Scilicet, vti in somno nullus est ratiociniis locus, ita conscientia eorum dormitare dicitur, qui, quum inserviant affectibus, et toti a sensibus pendeant, ac imaginatione, curas et cogitationes in actionum honestatem, aut turpitudinem haud defigunt. Quoniam vero mala cum factis necessario copulata peccantem plerumque pungunt, mordentque: inde fit, conscientia soleat saepius evigilare, donec longa peccandi consuetudine occalescat, et instar carnis cauterio vistae sensus omnis stupore opprimatur.

C A P V T VI.

De iuris naturalis partibus atque usu.

CCXI. Postquam imputationis & conscientiae doctrinam satis prosecuti sumus, proximum est, vt de variis, quibus ius naturae constat partibus, deque eiusdem praestabilitate atque usu videamus. Noua hic nimirum se offert iuris significatio, quae cum obligationum et legum complexum seu systema, tum ipsam aequi boni artem designat. Atque haec ars est, quae quantenus scientia cernitur & actione, vocatur *Iurisprudentia*, nec inconcinne definitur: *Habitus obligationes, leges, et iura demonstrandi, iisque accommodandi species*

cies obuenientes; quorum alterum ad theoriam, alterum ad praxim pertinet.

CCXII. Itaque illa legum et obligationum notitia, quae ab experientia tantum usque hanritur, et si factis singularibus disceptrandis sufficiat atramen *Iurisperitia* dicitur, non *Iurisprudentia*; haec enim sine habitu demonstrandi intelligi non potest. Eam autem esse constat demonstrationis naturam, ut certis et indubitatis natiuitate principiis, dein conclusiones legitimo ducentur *nexus*, denique principiorum, ac conclusionem inter se cohaerentia distincte perspiciatur. Atque ita manifestum est, quodnam inter *Iurisperitos*, *Iurisscientes*, et *Iurisprudentes* sit discrimen.

CCXIII. Sed ex variis legum complexibus totidem *Iurisprudentiae* genera delapsa sunt. Quum enim obligations et leges omnes primum in diuinas et humanae, iterum diuinae in naturales et positivias, tertium humanae in multas adhuc formas dispescantur, etiam *Iurisprudentia alia diuina est*, alia humana. Porro diuina in naturalem et positivam, humana vero in tot nouas abit partes, quo diuersae legum humanarum complexiones existunt. Ex quo satis explicari potest, cur veteres *Iurisprudentiam in vniuersam: Diuinarum et humanarum rerum notiam, iusti atque iniusti scientiam*, descripsierint. L. 10. §. 2. D. de I. et I

CCXIV. Ex his autem eluet, *Iurisprudentiam naturalem*, in toto suo ambitu acceptam esse *habitum obligationes leges, et iura naturalia demonstrandi, sisque applicandi obuenientes specieis*, adeoque in omnibus varieti officiis, quae Leo, sibi, et aliis deberi solius rationis usu intelligi potest. Quanquam enim nonnulli tam arctos fines constituant nostrae disciplinae, ut nihil iuri naturae adversari patet, quod non ad alterius hominis tendat iniuriam, hi tamen mihi a veterum ratione discedere, atque sine via sufficiente causa suspectum hocce studium suumq[ue] facere videntur.

CCXV. Ecquis enim non iis succenseat, qui pium,
ho-

honestum, atque sequum omne a iure naturali dicuntur excludere. Nam, quod aiunt, ista quidem se agnoscere officia, sed illorum tractationem ad alias spectare disciplinas; an non intelligunt, se plane abhorrente ab usu loquendi, et ita hoc nostrum studium nobilissima sua parte mutilari.

CCXVI. Est profecto verus Dei cultus omnium officiorum fundamentum, de quo, qui in Iurisdrudentia naturali agere praetermittunt, nec doctrinam de legum confictu penitus tradere, nec quam vim habeat iauocatio summi numinis ad firmandam sermonis veritatem exponere, nec denique ipsam legem de non laedendis aliis sufficienti sanctione munire possunt. Officia erga nosmet ipsos quod attinet, illa sic comparata sunt, vt re ipsa ab officiis erga alios homines non discrepent, immo vero haec ab illis maximam accipient lucem. Tandem officia imperfecta ideo saltem hic perscenda sunt, vt inde etiam officia perfecta eo facilius discernantur.

CCXVII. Status, vi cuius plures ad communem quendam finem vnitis viribus obtinendum tendere obligantur, *Societas generatim* dicitur, haec vel absolute est, si ex sola hominum natura ad finem ultimum, id est divinae gloriae illustrationem, coniunctionum pendeat, vel *hypothetica*, si ab accidente quodam confociationis facto simul consequatur. Illa etiam universalis est, haec vero tantum particularis.

CCXVIII. Obligationes et leges, quae ad hominem solitarium, aut in societate absoluta consideratum respiciunt; traduntur in Iurisprudentia mere naturali ac sociali generatim, seu in iure naturae *Ethica*; quae vero ad societatem spectant hypotheticam, eae in Iurisprudentia naturali *Sociali* strictius accepta pertractantur. Itaque pars prior officia hominis vel simpliciter, vel cum aliqua adiunctione praeterquam sociali, pars autem posterior officia socii in arctiore significatione, scilicet *hypothetica* complectitur.

CCXIX.

CCXIX. Quanquam vero fines, quorum gratia homines coniunguntur, varii sint atque multiplices, adeoque et plurimae societatum formae esse possint, eae tamen quam maxime innotescunt; quae vel in sobole procreanda, vel educanda, vel in operis pro rebus praestandis, vel in binis saltem ex hisce finibus obtinendis, vel denique in mutua defensione sine communi imperio efficienda occupantur. Vnde et societas I. Connubialis, II. Parentalis, III. famularis seu herilis, IV. domestica, et V. anarchica sunt ortae; quarum omnium obligationes, iura et leges iurisprudentia naturalis socialis eademque *Oeconomica* vniuersalis explanat.

CCXX. Ex ante recensitis societatibus potissimum maior illa tandem coaluit, quae vocatur *Civitas*, atque definitur: *Caeetus hominum sui iuris sub eodem summo imperio communis securitatis causa colligatus*. Quemadmodum vero hoc posito facto nona quasi materies subiecta est obligationibus et legibus naturalibus hypotheticis, ad quas nimirum *cives*, seu ii, qui in societatem civilem conuenierunt, actiones suas componant; ita illarum legum complexus iurisprudentiam naturalem *Politicanam*, sive ius *civitatis vniuersale* constituit; quod a jure ciuitatis particulari, et cuiusvis populi proprio probre distingendum est.

CCXXI. Atque his quidem partibus absoluti iurisprudentia naturalis socialis potest. Sunt tamen nonnulli, qui ius naturale ciuitatis in *publicum* et *priuatum* dispescunt, *publicum* vocant, quod officia imperantium et subditorum, *priuatum*, quod officia subditorum inter se, declarat. Quae diuisio etsi non omni careat fundamento: tamen naturalia harum legum principia in systemate iuris ciuitatis ita inter se cohaerent, ut duplum eorum instituere tractationem minime necessarium videatur. Sane et qui in domestica viuunt socieate, neque si cum imperante, neque si secum in uicem agent, mutuis et naturalibus carere officiis possunt; ast ideo nemini adnuc venit in mentem, vt duas eate-

eatenus legum naturalium oeconomicarum disciplinas construeret.

CCXXII. Fuere etiam qui ex nuda ECCLESIAE, seu societatis ad Deum eodem modo colendum initae, notione, obligationes ex leges naturales ecclesiasticas deducere, et ita iurisprudentiam socialem noua parte augere voluerunt: quum tamen quilibet homo naturaliter, et ante omnem introductam societatem cultum Dei pro viribus promovere teneatur, atque eatenus horum officiorum expositio ad ius mere naturale pertinet: facile patet, ut nisi plures enumerentur caetus ecclesiastici proprietates, et ita magis eius determinetur scopus, ex generali illa Ecclesiae idea nullae profus novae ac definitae obligationes ecclesiasticae intelligi possint. Quod si proprior quaedam exercenda dietatis norma libero, aut summi Numinis, aut hominum arbitrio statuta animo concipiatur, ea vero non erit naturalis, sed solum positiva.

CCXXIII. Ius mere naturale ad omnes homines, quos nulla specialis tenet communio, pertinere supra vidimus: quum vero hi ipsi homines vel ut singuli, vel ut sociata quaedam multitudo considerari possit, etiam iurisprudentia mere naturalis, cum legis atque obligationes singulorum hominum, tum quoque diuersarum societatum in statu sociali vniuersali inter se viuentium exponit. Praeter omnes autem laudatas societas praecipuae ac maximae sunt civitates, quae etiam gentes vocantur, et ideo illa iurisprudentiae naturalis pars, quae in explicandis mutuis ciuitatum officiis versatur, *Iuris gentium* nomine iam pridem innotuit. Quo cognito sane, quibus reliquae minores societas nullius alterius imperio subiectae, iuribus inuicem vtantur, definire fuerit facillimum.

CCXXIV. Ne autem qui latiorem iurisprudentiae naturalis ambitum complexi sumus, illam cum theologia naturali, ethica, oeconomicia, aut politica confusisse videamur, operaे pretium est, ut quidnam in-

inter hasce disciplinas sit discriben, ostendamus. Ac primo quidem ex theologia naturali doctrina de Dei existentia et proprietatibus hauritur; ast obligationes et leges naturales, quas cognitio contemplatioque auctoris naturae suggerit; partem iurisprudentiae naturalis constituunt. Quod si malunt nonnulli etiam de officiis aduersus Deum agere in theologia naturali, eandem nobis non recusent libertatem, vt nos illa ad ius naturae referamus. Vtimur alioquin veterum exemplo, quod non pauci recentiores sunt secuti.

CCXXV. Ethicam quod attinet, ea quidem in uniuserum integrum morum doctrinam complectitur, adeoque et ius naturale; minus late tamen in illam doctrinae moralis partem, quae hominis in statu mere naturali considerati propria est, accipi consuevit. Sed facto iuris naturae, et reliquarum philosophiae partium diuortio, ethicæ appellatione illa nobis venit scientia, quae in modos, praesidia, et quasi artes inquirit, quibus ad ea facienda, quae lege naturali præcepta sunt, vel omittenda, quae eadem sunt prohibita, facilius peruenit. Et ita quid inter iurisprudentiam naturaliem et ethicam intersit, perspicue intelligi potest.

CCXXVI. Ita quoque in oeconomica olim non modo, quae in minoribus societatibus qua talibus bona essent vel mala, sed etiam qua ratione et via comparari ea bona, vel evitari mala possent, coniunctim explicarunt. Ex quo vero iurisprudentia naturalis oeconomica in separatam redacta est disciplinam, id superest modo, vt oeconomica moralis in artibus et praesidiis versetur, quorum ope legibus naturalibus oeconomicis eo promptius obsequamur. Ille autem strictissimos oeconomiae ponunt limites, qui eandem res externas adquirendi, et rite administrandi scientiam definiunt.

CCXXVII. Tandem illud antheac politiae tributum est munus, vt cum iura et leges ciuitatum, tum hasce conseruandi, ac perficiendi modos explanaret.

Quia

Quia tamen ex iuribus et legibus ciuitatum naturalibus ius publicum vniuersale, et ius naturale gentium cinnatum est, id tantum erat reliquum, ut in politica strictius accepta artes et praesidia, quorum ope leges naturales ciuitatum impleri, ipsaque adeo societas ciuilis conseruari ac perfici magis possit, docerentur. Et sane Icti quid ciuilibus sociis, quid gentibus inter se agere liceat, exponunt; an autem, quod licitum est, certo ciuitatis statui vtili sit ac proficuum, a politicis expendendum est.

CCXXVIII. Longe autem facilius est iurisprudentiam naturalem dignoscere a iurisprudentia diuina positiva. Prior enim leges complectitur aeternas ac necessarias, quaeque ex ipso Dei, rerumque conditarum essentia atque natura solius rationis vsu intelligi possunt; contra posterior in legibus versatur extra naturam, ut nobis cognita est, peritis et eatenus fortuitis, seu voluntariis, quasque diuina primum auctoritas, seu reuelatio vel toti generi humano, vel alicui saltem genti patefecit.

CCXXIX. Verum grauis adhuc illa est disceptatio: an et quaenam existant leges diuinæ positivæ vniuersales, quae nimirum lumine rationis non innotescant, et tamen omnes obligent homines; quandoquidem illarum promulgatio, in veteri et novo testamento, illis, qui totum genus humanum repraesentabant, fuerit facta: quod quid alii pluribus, alii paucioribus exemplis adserere conati sunt.

CCXXX. Contra alii ita ad obiecta respondent exempla, ut vel leges vniuersales esse negent propter necessariae promulgationis defectum, vel negent esse positivas, quod sufficientem vim obligandi ex ipso rerum natura haurire videantur. Cui quidem sententiae, quod ad ius adamiticum, et noachicum attinet, facile adstipulamus; adductae enim propositiones, nisi con genito hominum sensu continentur, vel non sunt obli-

gatoriae, vel peculiari tantum genti a Deo fuerunt manifestae.

CCXXXI. Diuersa est omnino legum euangelicarum ratio. Praeterquam quod enim diuinus redemptor naturae leges summa circumfundit luce, praexcepta quoque dedit de mysteriis ac sacramentis, quae humanae utique superant rationem, haecque omnia per uniuersum orbem praedicari diserte mandauit; quo cum ad aeternam beatitudinem consequendam monitraretur via, tum iura naturalia praemiis ac poenis omnium maximis munirentur. Quin igitur leges euangelicae iuris positui uniuersalis nomen mereantur, nefas esset dubitare.

CCXXXII. Atque ex his abunde colligitur, immane quantum a vero aberrare illos, qui iuris naturae disciplinam vel iam constitutis ciuitatibus, vel latissimis euangelicis legibus inanem atque superuacaneam esse arbitrantur. Quum enim praexcepta naturalia, a quibus omnes actiones nostrae liberae aliquam accipere debent normam, nulla penitus actate tolli, aut abrogari possint: consequens est, ut illorum cognitionem ac studium neque obliterari fas sit, neque viuim aliis nouis fancitis exolescere unquam liceat.

CCXXXIII. Sed nec is est Euangeli vel legum ciuilium scopus, vt negotia regant popolorum, quod munus sibi vindicat scientia iuris naturalis, quae cum variis theologicis quaestzionibus lucem faeneratur, tum maxime caeteris omnibus iurisprudentiae partibus adeo faciem praefert, vt ea destituti, non solidam expressamque iustitiae effigiem tenere, sed umbra tantum vanisque imaginibus vti videatur.

CCXXXIV. Sed non abs re erit de hoc argumento differere paulo latius. Non equidem inficiamur pauciores esse hodie homines, qui vivant in statu naturali, attamen popolorum Rectores primaeua adhuc vtruntur libertate. Itaque illorum obligationes et iura, quae speciali quodam facto nondum satis determinata sunt,

ex

ex iure, partim simpliciter naturali, partim publico vniuersali, omnino sunt discenda. Certe iura civilia non imperantium, sed subditorum actiones moderantur; sacri autem codicis auctoritatem neque agnoscunt omnes, nec qui agnoscunt, ignorare debent esse aliquid iustum et iniustum ante omnem revelationem; hanc vero non tam ad negotia huius vitae, quam ad alium ad longe praestantissimum finem pertinere.

CCXXXV. Ita et omnes ciuiles societas statum naturalem inter se tuerintur; quoniam tamen saepissime invicem agere, et aliquando incidere in controversiam soleant, certa vtique est opus communis norma, ad quam huiusmodi negotia exigantur. Quod subsidium, quia nunquam in iure ciuili, nec semper in doctrina euangelica reperitur, illud tantummodo reliquum est, ut ad leges naturales, quae sub nomine iuris gentium veniunt, velut ad vniuersalem omnium populorum regulam recurramus, cuius ignoratio quo maiores peperit laesiones et clades, eo insignior est ab illius doctrina rite exposita utilitas.

CCXXXVI. Et si vero civitates publica iura tam interna, quam externa aliquando sibi constituant, ea tamen tantum sunt particularia, atque adeo definiendis quibusvis speciebus obuenientibus minime sufficiunt. Sane ius particulare vniuersali tantum est superadditum, quemadmodum igitur partes generi subiectae non prius intelliguntur, quam distincta ipsius generis notio habetur; ita et omnia iura particularia ex principiis iuris vniuersalis necessario declaranda sunt. Quod porro etiam in iure publico particulari, et iure gentium arbitrario obseruare oportet; ne secus in turpes ac perniciosos errores rapiamur.

CCXXXVII. Id vero exacta iuris naturalis cognitione praefat theologiae positivae, ut non modo sufficientis praemii vel poenae naturalis in mortali hac vita defectus, et porro vitae alicuius futurae, imo et reuelationis necessitas intelligatur, sed etiam ut mira Eu-

gelii cum recta ratione in doctrina morum conspiratio plenissime eluceat. Quod si vero inter leges, quas naturalis ratio suggestit, et quae sacris continentur codicibus, aliqua se offerat diuersitas, vel opinata quae-dam appareat repugnantia; tum quidem solida iuris naturae principia praesto esse oportet, nec enim aliter veritatem perspicuo intueri, nec, quae in contrarium existunt, dubitationes explicare facile licebit.

CCXXXVIII. Iis porro, qui in dirigendis aliorum conscientiis, atque in doctrina, quam vocant, casistica, versantur, nisi scientia iuris naturalis probe sive imbuti, quam saepius haerere necesse est. Quum enim facta omnia singularia vel memoria discere, vel intelligentia praeuidere nullus homo possit; quotiescumque noua causa, consultatione acciderit, ea profecto ad principia legum vniuersalium exigenda est, ut inde deum, quid iustum sit, quidue iniustum, certo colligatur. Sed et eo spectat rationis lumen, ut, quae propter indifferentiam obiectuum aliter quidem determinari poterant, si tamen determinata non sunt, iuribus vniuersalibus attemperentur.

CCXXXIX. Quanquam vero leges naturales non ex auctoritate, sed ex suis ac domesticis principiis deriuandae sunt, nihilominus plura suppeditant sacrae litterae secundaria argumenta, quibus aliquid iure naturali vel praeceptum, vel prohibitum, vel etiam permisum esse arguamus. Idem enim est sapientissimus rationis ac reuelationis auctor, quem a semetipso dissentire, et leges essentia immutabiles tollere omnino repugnat. Ex quo triplex illa elicatur argumentandi ratio: ut I. nihil, quod in sacris litteris praecipitur, lege naturali prohibitum, II. nec vicissim quod iis prohibetur, hacce esse praeceptum possit.

CCVL. Denique III. id, quod in diuinis Pandectis permisum esse legimus, etiam iure naturali licitum esse oportebit, si sacer textus de plena, quaeque etiam in foro interno obtineat, permissione loquatur. Secus autem

autem foret, si permisso tantum esset minor plena, et non risi foro externo impunitatem tribueret.

CCXLII. Leges mere ciuiles omnes sunt particulares, igitur ad ius vniuersale tanquam riunli ad fontem suum referendae sunt. Speciatim vero ius ciuile ad romanum ad magnam partem collectum est ex praexceptis naturalibus; quare qui ad horum normam loca vel supplet praetermissa vel declarat ambigua, errare nullo pacto potest. At multa quoque occurunt populi romani sciata, quae tantum arbitaria sunt, quaedam autem quae plane a ratione abhorrent; cuinam vero vel priora a legibus necessariis discernere, vel posteriora corrigere sine iurisprudentia naturali licebit?

CCXLII. Inter iuris civilis capita illud postremum non est, quod leges continet de delictis et eorum poenis descriptas, vulgo criminales. Quam in re in primis malefactorum veritas et magnitudo, tam quantitas imputationis, et denique poenarum modus finesque diligentissime pernoscendi sunt, — quo Iustitiae vtricci examinissim possit satisficeri. Quum igitur harum materiarum principia tractantur in iuris naturalis disciplina: non obscurum est, illius studium etiam in Iurisprudentia criminali vtramque facere paginam.

CCXLIII. Ius ecclesiasticum partim ex legibus diuinis tam naturalibus, quam positivis, partim ex constitutionibus humanis coaluit. Ex quo conficitur, ut quae de usu iurisprudentiae naturalis cum in theologia, tum in iure ciuili ante tradita sunt, ea omnia etiam in iure ecclesiastico obtineant. Sed et id maxime praefat iuris vniuersalis scientia, ut limites inter ecclesiasticam potestatem a Christo institutam, et ciuile imperium nullo negotio statuantur. Illa enim non tam corpori, quam animo, et fini, qui humanam excedit intelligentiam, destinata est; hoc vero ad scopum spectat ratione sola cognitum, nec actiones mere internas moderatur, quapropter, posita licet revelatione, firmum tamen ac stabile permanit. Ex quorum principiorum neg-

glectione, incredibile dictu est, quanta malorum copia fit exorta.

CCXLIV. Ceteros legum ab hominibus conscriptarum complexus silentio praeterimus, satis enim ex dictis intelligi par est, cur in quo quis recte obeundo Iurisprudentiae munere, Iuris naturae studio carere nemo possit. Illud addemus modo, huius disciplinae administriculo varios quoque populorum mores, an cum ratione consentiant, vel eidem repugnant, expendi oportere. Quamquam enim magna sit morum, seu consuetudinis anchoritas, quae ducitur a vetustate, nunquam tamen adeo valitura est, ut naturalem euerat honestatem seu iustitiam. Quare hujusmodi consuetudo non inter agendi regulas usu receptas, sed inter vitia et corruptelas erit referenda.

CCXLV. Denique si ius constitutum non quavis auctoritatis trutina, sed rationis statera examinari opus est, constituendi quoque iuris ab illa summa legi capiendum est exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex vlla, aut quam omnino ciuitas sociata. Quaecunque enim facta naturalem laedunt iusti iam, canillius legislatoris iusu cohonestari possunt. Atque ex his omnibus perspicuum est, inesse quidem in quavis Iurisprudentiae parte suam dignitatem, usumque, nullam tamen cum hac nostra, si quis legum fontes et capita viderit, vel principiorum amplitudine, vel utilitatis vbertate esse comparandam.

CCXLVI. Quaenam vero methodus tradendis naturae praeceptis sit accommodatior, adhuc hodie discep-tatur inter doctos. Alii enim scholasticam, alii mathematicam esse praeferendam putant. Quum autem naturae leges sint veritates necessariae, et scientiam veri nominis constituant, in aperto est, methodum mathematicam ad iuris naturalis disciplinam omnino pertinere. Sed etiam veteribus ea probata est docendi ratio, ut iactis certis principiis conclusiones legitimo ratiocinandi nexus deponantur. Illud tamen facile damus in libri usui

vsi discentium et methodi parum peritorum destinatis
a summo demonstrandi rigore satius abstineri.

CAPVT VII.

De ortu et progressu Iurisprudentiae naturalis.

CCXLVII. Legum naturalium cognitio ab ipsis
mundi incunabulis est repetenda: siquidem cum ADA-
MO ortae sunt communia iuste honestaque viuendi
notitiae.

CCXLVIII. Qua ratione vero et a quibus viris
I. inter varias gentes exculta fuerit, tum II Philosophica
methodo vna cum Ethica tractari, tandem vero
III. in peculiarem redigi disciplinam coeperit, id nos
docet historia iuris naturalis.

CCXLIX. Hanc quidem expenderunt plures, sed
a sacris nostris tantum non omnes alieni, qui porro
proprie infernientes sectae extra rhombum vagantur,
et scommata in Catholicos passim inspergunt.

CCL. Prima vero huius iuris cordibus nostris in-
scripti tradendi ratio a peculiari ipsius *supremi Numi-
nis revelatione* recte arcessiri potest. Ecclesiast. VII.
v. 1. seqq.

CCLI. Quae dein *parentum traditionibus* per SE-
THI posteros usque ad NOACHUM constanter tradu-
cta est.

CCLII. Huic post diluvium naturalium legum
compendium in *septem praceptoribus* datum gratis vendi-
tant Rabbinii.

CCLIII. Ast non minorem ideo legum naturalium
e Ituram adhuc buerunt SEMI descendentes, uti ABRA-
HAMUS, I AACUS, IACOBUS, JOSEPHUS, a
pa entum sim ac ipsius aeternae veritatis ore instructi.

CCLIV. IOBUM quoque, licet extra familiam
D 4 Israe-